Dissertatiuncula, de Democriti heterodoxia in doctrina de nutritione foetus in utero / [Lorenz Efferen].

Contributors

Efferen, Lorenz.
Seger, G.
Universität Basel.

Publication/Creation

Basle : G. Decker, [1660]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/pyuq6uxa

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

D. XIX
50494
6
5.

DISSERTATIUNCULA,
De

DEMOCRITI HETERODOXIA IN DOCTRINA DE NUTRITIONE FOETUS IN UTERO.

Quam,
D. O. M. A.
PERMISSU
Nobilissimi atq; Amplissimi
MEDICORUM ORDINIS.
in
Perantiqua & Florentissima
RAURACORUM UNIVERSITATE
Secularem solemnitatem iterum feliciter celebrante,
Publico ac Placido
ERUDITORUM EXAMINI
sistit
PRAESES
GEORGIUS SEGERUS
THORUNENSIS.
RESPONDENTE
LAURENTIO EFFEREN,
Reutlingensi.
Ad diem *Aprilis, An. M DC LX.*
Loco horisque consuetis.

20
B.
7361.

BASILEÆ, Typis GEORGI DECKERI,
Universitatis Typographi.

Trigæ Senum Celeberrimæ.

VIRIS

MAGNIFICIS atq; AMPLISSIMIS.

DN. NICOLAO RITTERSHUSIO,

JCto Gravissimo, Serenis. Elect. Bavariæ & Illustris Reipubl. Noricæ Consiliario Sapientissimo, ac in Florentis. Universitate Altdorfina Juris Antecessori Primario, &c. Patrono Parentis instar Venerando.

DN. EMMANUELI STUPANO,

Phil. & Med. Doctori Excellentissimo, Medicinæ Theoricæ in Florentis. Basileensium Universitate Profess. Publ. Gratiosissimique Collegii Medici Seniori ac p. t. Decano Gravissimo, &c. Evergetæ Colendissimo.

DN. JOH. CASPARO BAUHINO,

Phil. & Med. D. Excellentissimo, Potentis. Galliarum Regis & diversorum Germaniæ Principum Archiatro Gravissimo, Botanices ac Anatomes in Florentis. Basileensi Prof. Publ. &c. Mœcenati & Promotori Gratiosissimo.

50494

Hanc

DISSERTATIUNCULAM

Sacram vult

PRÆSES.

DISSERTATIUNCULA, De DEMOCRITI HETERODOXIA IN DOCTRINA DE NUTRITIONE FOETUS IN UTERO.

I.

QUia *Democritum*, maximum illum seculi sui Philosophum, (quem ἄριστον φύσεως καὶ κόσμου Ἑρμῆν Divinus judicavit *Cous*, (a) & *Subtilissimum antiquorum omnium* Subtilissimus pronunciavit *Seneca*) (b) omnes, qui de Nutritione Fœtus scribunt, citant, & aut admittunt, aut rejiciunt, ejus sententiam accuratiori examini subjicere decrevimus.

(a) *in epist. ad Democr. p.1287. l.19.*

(b) *Nat. quæst. L.7. c.3. p.676.*

II. Deprompsimus autem Sapientissimi Viri Doctrinam ex *Plutarchi Libris de Placitis Philosophorum.* Non tamen solis. Ne quis nobis sequentia *Guilielmi Xilandri*, Optimi illius Plutarchi Interpretis, objiciat verba: (c) *Non nescio, quosdam superbire citandis Philosophorum decretis, abusos his libris, quorum librorum alioquin sua est non pœnitenda utilitas. Sed insaniunt, qui his libris lectis scire se putant, quid de quaq; in iis propositâre senserint Philosophi.*

(c) *in Præf. Annot. ad hos Libros.*

III. Quare ne aut superbire, aut insanire videamur, non solius *Plutarchi* effato stabimus, sed ei *Aristote-*

lem adjungemus, imò & *Authorem libri de Historiâ Philosophicâ*, sive is *Galenus* sit, sive *Aëtius*.

IV. Proponit autem *Plutarchus* Summi istius Philosophi sententiam his verbis: (d) Δημόκριτος, ὁ Ἐπίκουρος τὸ ἔμβρυον ἐν τῇ μήτρᾳ διὰ τοῦ στόματος τρέφεσθαι· ὅθεν δὲ θέως γεννηθὲν ἐπὶ τὸν μαστὸν φέρεται τῷ στόματι· εἶναι γὰρ ἐν τῇ μήτρᾳ θηλάς τινας, καὶ στόματα, δι' ὧν τρέφεται. Quæ *Xilander* ita vertit: *Democritus, Epicurus, fœtum in utero per os ali, itaq; statim atq; natus est, ore ad mammam ferri* censent. *Nam & in utero esse ubera quædam, & oscula quibus alatur.*

(d) *de Plac. Phil. L. 5. cap. 16. edit. Franc. tom. 2. p. 907. D.*

V. Nec dissentit *Aristoteles*, qui (e) de Democrito ejusque Sectatoribus scribit, quod dixerint, τρέφεσθαι τὰ παιδία ἐν ταῖς ὑστέραις, διὰ τοῦ σαρκιδίου βδάλλειν, *infantes ali in utero, & propterea sugere carunculam quandam.*

(e) *de Gen. An. L. 2. c. 7. p. 1269. B.*

VI. Conveniunt igitur testes hi omnes in relatione suâ ita, ut & *Objectum*, & *Modum suctionis* ex mente *Democriti*, non quidem iisdem verbis, eodem tamen modo exprimant, quibus *Plutarchus* & *Galenus* etiam *Subjectum* & *Adjunctum* addunt.

VII. *Objectum* Aristoteles σαρκίδιον, *Plutarchus* & *Galenus* θηλὼ vocant: quæ vocabula Latini per Papillas seu Caruncula explicant.

VIII. Sunt autem Carunculæ propriè sic dictæ, carnosæ quædam particulæ, nonnullis corporis meatibus in primâ partium formatione appositæ, papillas mammarum figurâ, non magnitudine, referentes.

IX. Talis est Caruncula intra urethram, valvulæ instar carnosę prostatarum glandulosorum poris, in urethræ principium patentibus, apposita, urinę in urethrā ingressum seminisque egressi regressum impediens.

X. Tales sunt Carunculæ, Lacrymales dictæ in majori

jori oculi angulo, foraminulis duobus, quæ Puncta lacrymalia ab Anatomicis vocantur, appositæ, humiditates oculorum superfluas excipientes.

XI. Tales sunt Renum illæ Carunculæ, Papillares Anatomicis dictæ, colaturæ seri inservientes. De quibus, quamvis nunquam eas cum urinâ exeuntes viderit *Galenus*, (f) imprimis tamen sequentem *Hippocratis* Aphorismum (g) intelligendum esse existimamus: Οἰσέουσιν ἐν τῷ ὕδρῳ παχεῖ ἐόντι σαρκία μικρὰ, ἢ ὥσπερ τρίχες ξυνεξέρχονται, τυτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται: *Quibus cum urinâ crassâ exiguæ carunculæ, aut veluti pili unà exeunt, his à renibus excernuntur.* In quâ sententiâ nos confirmat signum, quod Medici ex contentis in urinâ carunculis de ulceribus renum unanimi sumunt consensu. Nec renuente ipso *Galeno*. (h) Sic enim ille: *Efficacissima ulceratorum renum conjectura est, si cum urinâ exiguæ quædam Carunculæ excernantur, utpote, quas renum essentiæ partes, easq; ob vehementem ulceris erosionem, avulsas esse constat.*

(f) *Comm.* 4. *ad Aph.* 76. *f.* 36. *D.*

(g) *Sect.* 4. *aph.* 76.

(h) *de locis aff. L.* 6. *c.* 3. *cl.* 4. *f.* 37. *D.*

XII. Tales quoque in utero dari cum Democrito credidit *Diocles Carystius*, qui paulò post *Hippocratem* vixit, & Divini Senis doctrinam de Cotyledonibus mirum obscuravit. Scribit enim de eo *Soranus Ephesius*, (i) quod dixerit, dari providentiâ Naturæ in lateribus cavitatis uteri κοτυληδόνας, ἢ πλεκτάνας καὶ κεραίας, quæ sint μαστοειδεῖς ἐκφύσεις, πλαδεῖαι μὲν κατὰ βάσιν, μείονοι δὲ κατὰ τὸ ἄκρον. Et quidem in eum finem natæ, ut Embryo προμελεῖται τὰς θηλὰς τῶν μαστῶν ἀπιστᾶσθαι.

(i) *Lib. de Utero, &c.*

XIII. Ita etiam sensit *Epicurus*, de quo *Hermippus* apud *Laërtium* (k) scribit, quod Ludimagister primò fuerit, deinceps autem, cùm incidisset in Libros *Democriti*, ad Philosophiam se contulerit. Imò, ut *Metrodorus*

(k) *de vita Phil. L.* 10.

apud *Plutarchum* (l) refert, nunquam ad ſapientiam perveniſſet, niſi *Democritus* præiviſſet.

(l) *Com. adv. Colot. Tom. 2. p. 1108. E.*

XIV. Verum enimverò hoc Caruncularum nomen nonnulli Anatomici, & inter eos *Aquapendentius* (m) & *Harveus*, (n) aliquali figuræ aut ſubſtantiæ ſimilitudine commoti, attribuunt quoque innumerabilibus illis carneis particulis, quæ in brutorum nonnullorum, & imprimis alterâ parte tantùm dentatorum, utero, loco unicæ placentæ, graviditatis tempore reperiuntur.

(m) *de Form. F. par. 1. c. 3. p. 5.*

(n) *paſſim, præſertim v. in Exerc. 70.*

XV. Sed minùs propriè. Neque enim in primâ partium formatione adſunt, nec utero continuæ ſunt, nec perpetuæ; atque ita plurimis differunt à propriè ſic dictis Carunculis, quarum deſcriptionem ſuprà (o) dedimus.

(o) §. IIX.

XVI. Eſt tamen horum ſententia multò tolerabilior, quàm *Dioclis Caryſtii*, *Sorani Epheſii*, *Ariſtotelis*, & aliorum, qui ab *Hippocrate* deſciſcentes, dictas particulas carneas Cotyledonas ſeu Acetabula vocârunt.

XVII. Quamvis ſi accuratiùs omnia perpendamus, melioris diſtinctionis gratiâ, pro Caruncularum nomine, Placentularum potiùs nomen ſubſtituendum eſſe cenſeamus, cum carneæ illæ portiunculæ idem in cervis, damis aliisque brutis præſtent officium, quod Placenta Uterina in reliquis animalibus.

XVIII. Nec veremur ideò cenſoriam *Cl. Courvei* virgulam, quâ *Aquapendentium*, omnesque illos tetigit, (p) qui carneam illam brutorum ſubſtantiam ad placentularum genus referunt. Neque enim Placentulas & Cotyledones confundimus, ſed manifeſtè diſtinguimus, & ſic impune abimus. Sed redeamus ad *Democritum*, ne nimiâ digreſſione riſum ei commoveamus.

(p) *Parad. de Nutr. F. part. 3. c. 6. p. 191.*

XIX. Is

XIX. Is *Subjectum* Suctionis exprimit voculâ Στόμα, quam in relatione sententiæ Democriteæ τῆς θηλῆς vocabulo adjunxerunt *Plutarchus* & *Galenus*. Quos hâc voce vasa uterina, eorumque oscula in uterum hiantia, *Hippocrati* κοτυληδόνες, *Latinis* Acetabula dicta, indigitâsse patebit, si textus paulò accuratiùs examinetur.

XX. Unde conjicio, copulam Καὶ non absque causâ textui ab Autoribus dictis esse insertam, dum inquiunt, ἐν τῇ μήτρᾳ θηλάς τινας καὶ στόματα εἶναι, aut: εἶναι γὰρ ἐν τῷ σώματι θηλὰς ἀπινενοημένας, καὶ στόμα. Voluerunt enim papillas ab osculis vasorum, & ita Objectum suctionis ab ejusdem subjecto distinguere. Et rectè quidem.

XXI. Indicârunt autem per oscula etiam *Adjunctum*, sanguinem scilicet, quem quod infans per papillas ex osculis vasorum uterinorũ ore sugat, & in suum alimentum convertat, credidit *Democritus*.

XXII. Id quod etiam alibi ex mente *Democriti* sic inculcat *Plutarchus*: (q) *Postquam genitale semen complexus est uterus, actis jam radicibus: ibi tùm menstruæ illos purgationi aptos meatûs natura occludit, sanguinemq; vagum arripiens, eo alimenti loco utitur, fœtumq; humectat eo*, &c.

(q) *Comm. de Amore Prolis, p. 495. E.*

XXIII. Nec movent nos verba, quæ superioribus interpolat, & hujus sunt commatis: *Primùm in utero umbilicus nascitur*, ut ait Democritus, *tanquam anchora, quâ fœtus nitatur contra fluctuationes, & tanquam retinaculum, aut pedamentum conceptæ sobolis*. Quamvis enim his primâ fronte visis concludere quis posset, adstruxisse etiam *Democritum* nutritionem per Umbilicum. Si tamen exactius ponderentur, id solùm inde elicietur:

tur: Umbilicum, ſecundum *Democritum*, ideò tantùm à Naturâ formari, ut eo tanquam anchorâ aut pediculo fœtus, aliàs planè in utero liber, contineatur, ne matre ſe violentiùs movente, ilicò ad latus aliquod allidat, & contuſionem patiatur. Ita ut hoc in opere Natura idem præſtet, quod Nauta peritus, in conſervatione navis ſuæ, ipſaque provida Mater in fructuum procreatione.

(r) *L. 2. de Gen. An. c. 4. p. 1257. F.*

XXIV. Quam noſtram opinionem *Ariſtoteles* (r) nimium confirmat, dum *Democritum* reprehendit, quod dixerit, ejus rei gratiâ animal in utero tantùm manere, ἵνα διαπλάττηται τὰ μόρια κατὰ τὰ μόρια τοῦ ἐχόντος: *ut membra formentur ſecundum membra parentis.* Quia enim *Democritus* umbilico retinaculi tantùm uſum aſſignavit, meritò per umbilicum fœtum in utero tamdiu, donec formatio debita abſoluta ſit, retineri credidit. Hinc dixit, umbilicum eſſe κλῆμα τῷ γενομένῳ καρπῷ, καὶ μέλλοντι *pedamentum conceptæ ſobolis* ſeu *petiolum nato & futuro fructui.* Ubi quemadmodum fœtum fructui, ita umbilicum pediculo, ſeu petiolo (ita enim τὸ κλῆμα hîc interpretandum eſſe reor) comparat.

XXV. *Modus* per vocabulum βάλλειν indicatur apud *Ariſtotelem*; cujus verbi vis propria hæc eſt, ut denotet actum illum, quem infans in lucem editus præſtat, dum mammis applicatus ex papillis ore prehenſis nectar optimum, maternum lac, attrahit. Nec diverſum ſentit *Plutarchus*, ut ex textu colligere licet.

XXV. Patet igitur ex hactenus dictis, hanc Democriti mentem fuiſſe: Quod Fœtus in utero materno carunculas, ſeu papillas, oſculis vaſorum uterinorum adjectas, ore prehendat, & ex iis ſanguinem maternum per vaſa dicta affluentem ſugat.

XXVII. Hanc

XXVII. Hanc ſententiam ſuam triplici imprimis medio adſtruxiſſe videtur *Democritus*, quorum prius expreſsè referunt *Plutarchus* & *Galenus*. Poſteriora duo ex ſuprà dictis haud obſcure elici poſſunt.

XXIIX. Eſt autem primum deſumptum à primâ fœtus in lucem editi actione. Εὐθέως γενηθὲν, ὅπὶ τὸν μαστὸν φέρεται τῷ στόματι: *ſtatim atque natus eſt fœtus, ore ad mammam fertur.* Jam verò, ut rectè ex *Hippocrate* (s) ſubſumere licet, ἐπεὶ ἂν (τὸ παιδίον) θηλάζειν τὸν μαστὸν ἠπίστατο γενόμενον αὐτίκα, εἰ μὴ καὶ ἐν τῇ μήτρῃ ἔμυζε: *non, ut primum* (puer) *natus eſt, ubera ſugere noſſet, niſi in utero ſuxiſſet.*

(s) *de Carn.* p. 250 l. 50.

XXIX. Sed Reſpondemus: Nec ſolam, nec talē, qualem *Democritus* voluit, ſuctionem aſtruit hoc medium. Non ſolam. Neque enim video conſequentiam: ſugit infans alimentum in utero materno; ergo nihil per Umbilicum recipit. Falſum eſt conſequens. Hæ enim actiones ſibi non contrariantur, cum & illa & iſta alimenti receptio propter eundem fiat finem, Nutritionem puta.

XXX. Sed & talem, qualem *Democritus* docuit, ſuctionem minimè aſtruit probatio dicta. *Non enim recens natus infans*, verba ſunt Excellentiſſimi *Harvei* (t) *papillam labiis comprimens ſugit, ut nos, abſorbendo; ſed quaſi deglutire vellet, totam in fauces usq; attrahit, linguaq; & palati auxilio, tanquam manducando Lac emulget.* Quod tamen non faceret, ſi in utero carunculas per tot menſes ſuxiſſet, & labiis papillas comprimendo ſanguinem attraxiſſet.

(t) *Ex.* 58. p. 269.

XXXI. Secundum medium ortum trahit ab uſu, & præſentiâ papillarum, oſculis vaſorum appoſita-

rum. *Sunt enim & in utero papillæ quædam, & oscula, per quæ infantes aluntur.*

XXXII. Resp. Hoc medium quia falsis nititur fundamentis, per se corruit. Neque enim dantur tales papillæ in utero humano; nec, licet darentur, fœtus eas sugere posset.

XXXIII. Non dari vel αὐτοψία sola evincit. Nullus enim Anatomicorum αὐτοπτῶν ejusmodi processûs mammillares, seu carunculas, verè sic dictas, in utero deprehendit. Notanter dico, verè sic dictas. Neque enim de placentulis jam sermo.

XXXIV. Non existunt igitur tales Carunculæ in utero. Et licet existerent, fœtus tamen eas sugere non posset. Rationem nobis Natura & Experientia, verba verò *Aristoteles* (u) suppeditat. Nam πάντα τὰ ἔμβρυα ὁμοίως λεπτοὶ περιέχουσιν ὑμένες, χωρίζοντες ἀπὸ τῆς ὑστέρας: *Omnes fœtus pari modo membranæ tenues ambiunt, separantes ab utero.* Hinc, licèt in utero Papillæ adessent, eas tamen, ob membranarum interventum, infans ore sugere non posset.

(u) *de Gen. An L.2.c.7. p.1269.C.*

XXXV. Tertium tandem medium fluit ex menstrui sanguinis retentione. Quia enim Natura, (postquam genitale semen complexus est uterus) meatus menstruæ purgationi aptos occludit, utiq; sanguinem illum fœtui in alimentum cedere sequitur.

XXXVI. Resp. Fœtum sanguine materno, per Cotyledones placentæ communicato, nutriri omninò dicimus, atque sic hoc medium Democriteum totum admittimus; hac tamen lege, ne inde consequens tale, quale sententia proposita intendit, eruatur.

Et tantum de Sententia Democritea.

RESPON-

RESPONDENTIS ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

Non quemvis deploratum prognosticis relinquendum putamus.

II.

Quædam foris imposita cutem exulcerant, comesta non item.

III.

Cor musculum cum Hippocrate statuimus.

IV.

Malè se habentibus ortis, principium quoq; malè habere lubricæ veritatis regula est.

V.

Omnis morbus ulcus est.

VI.

Nullum medicamentum optimum medicamentum optimè dixit Hippocrates.

VII.

Qui in quovis morbo blandis & lenitivis medicinis tantùm agendum esse putant, gravissimè errant.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ,

Ad

Pereximium atq; Præstantissimum,

DN. LAURENTIUM EFFEREN,

Amicum suum singularem.

Ἀνδράσι τοῖσι σοφοῖς παρέχων τόδε δόγμα γελῶν ἐῢ ποιεῖς. Βραχέως φίλα βραβεῖα λάβε.

***

Euge bonum factum! Ridentis dogmata Doctis Dum sistis. Ferto præmia grata brevi!

M. CÆSO GRAMM,
Tonningensis.